

ARTICULUS VI.
DE
P E C C A T O.
APHORISMUS I.

Definitio peccati. Peccatum est creaturæ rationalis aduersus legem, illi à creatore latam, prævaricatio.

EXPOSITIO.

I. Peccatum.

NB. Vocabulum Peccati sumitur latissimè, pro quâvis aberratione à norma vel regula; sic Cicero dicit peccare idem esse, ac præfixas lineas transilire.

1. Si norma est ordinis *naturalis*, oritur peccatum *naturale*, ut tale vitium est monstrum.

Si *artificialis* peccatum tale est *artificiale* quoque. Sumitur vero hoc loco peccatum pro *peccatō mortali*.

2. Morale non sic dicitur *in sensu Ethicō*, vel verè civili, sed *Theologico & spirituali*. Hoc est, quod Hieronymus in Epitaph. Fabiolæ; Aliud Papinianus docet; aliud docet Paulus. In foro civili aliud demum peccatum dicitur, quod est *actio à sciente & volente contra rectam rationem vel legem positivam commissa*. Ignorant enim iura civilia peccatum habituale seu originis, ignorant in interioribus motibus etiam consistere.

3. Peccatum igitur hōc sensu vel consideratur *absolutè, ratione sui*, vel *ratione peccantis*, seu quatenus revelativi quid infert. Ad posteriorius pertinet reatus.

4. Peccatum potissimum intelligitur, *quod tantum est tale*; Præter hoc enim datur etiam aliud peccatum, *quod simul est pœna*, quando peccata peccatis puniuntur. Et in hoc est complexus significandi modus, in eōdem spectatur enim *actio & passio*.

5. Universaliter describo, non peccatum ob peccatorum omnium *paritatem*, quasi paria sint peccata omnia, sed ob *convenientiam, ratione forma indivisibilis*. Posteriorem concedo, & forma illa est *anomia*.

6. Alias